



§. 1034.

De virtute eorum, quæ in usus alimentarios adhibentur.

Semina frumentacea, farinosa.

**T**RITICUM cerealium princeps bonum suppeditat nutrimentum; si tamen coquatur integrum, & ita comedatur, teste Galeno libr. I. de aliment. facult. ventriculum gravat: flatus, ructus, capitis dolores producit. Ex Farina illius panis, ac pultes parantur, quæ facilius, atque ex aliis cerealibus digeruntur: sæpe tamen infantum morbos inde pendere praxis docuit, dum pultes minus coctæ, acido alioquin primis in viis hærente, ingeruntur; siquidem à tali causa ructus, flatus, tormina, clamores eorum nascuntur, quæ mala datis absorbentibus cum Rheo sæpius quam felicissime percurantur. Farina hæc cum aqua vel lacte dat cataplasma, quod ad inflammationes topicas in abscessum maturandas optimo cum successu adhibetur. Fursures denique ad emolliendas partes inflammatas calide applicari juvant.

ZEA plus hordeô, minus tritico nutrit; nobis tamen in usu non est.

SECALE dat farinam, ex qua panis conficitur, qui cum cito acescat, valida satis viscera requirit. Ex farina hac cum aqua, aut lacte rursus cataplasma conficitur pro locis inflam-

A

ma-

matris suppurandis longe optimum. Decoctum granorum secalis gratum est, & in acutis, quoniam putredini resistit, pulchrum sane usum habere potest.

*HORDEUM* minus glutinosum est triticô, & triplex illius habetur species; *integrum* nempe, *mundatum*, & *perlarum*. Ex hordeo crudo decoctum paratur, quod in acutis optimum præbet nutrimentum, ac potum, id vero an meracius, an tenuius esse debeat, major, minorve nutriendi necessitas moderatur. Si neque *spissum*, neque *tenuè* esse oporteat, unc. II. hordei cum aqua pura coquuntur, donec crepet, ut supersit mensura una, colaturæ uncia I. vel unc. II. mellis adduntur. Ægris vehementer exæstuantibus cum sicca, nullave alvo dr. I. aut dr. II. cremoris Fri vel Otri puri admiscuntur. Hoc decoctum assidue potatum, acre diluit, sitim extinguit, naufeas compescit, sordes è primis viis eluendo, cunctas secretiones, & excretiones promovet, vias omnes aperiendo; sed de his pluribus videri potest *Cel. Professor Antonius de Haen parte Ima rationis medendi cap. I. pag. 17. ad 22.* *Pisana* est decoctum hordei antea leviter frixi tenuius. *Cremor* hordei audit, dum hordeum mundatum ad crepaturam coctum per cribrum transprimitur: is vero usum habet, ubi *demulcenda* est acrimonia, & *Hæmoptoicis* in jusculo assumptus prodest. Externe hordeum cum herbis emollientibus decoctum, cataplasmatibus emollientibus inservit. *Farina* autem illius inter quatuor emollientes recensetur, locisque inflammatis, excoriatis, ac dolentibus calide in sacculis applicatur.

*AVENA* hordeô est paulo lentior: decoctum tamen ejus eodem modo paratum æquales usus habet ac virtutes. *Cremor* avenæ tussientibus, ubi nimia asperitas, & irritatio faucium adest, conducit. *Farina* cum lacte constituit cataplasma emolliens. Cæterum usus ejus quoad omnia hordeo est simillimus.

*ORIZA* in hæmoptoe ab erosione vasorum nata, bonum præbet nutrimentum, quod lacti vel juri carni incoctum facile sine sale assumitur. Medici in decocto orizæ magnam in curanda diarrhæa, & dyssenteria spem collocârunt.

*FAGOPYRUM* in medicina non adhibetur; quibusdam nationibus alimentum præbet. *Farina* ejus cataplasma emolliens, discutiens, & resolvens constituere potest.

MAYS

*MAYS* panem largitur haud difficulter digerendum: quibusdam contra calculum laudatur, firmato tamen minus experimento.

*MILIUM* leve nutrimentum præbet, iisque apprimè conveniens, qui glutinoso laborant; præterea, quum siccum sit, & friabile, hydropicis prodest, & in diarrhæis ferosis magnam laudem obtinuit.

*PANICUM* à Milio non abludit, usus tamen hodie vix ullos habet.

*PHALARIS* forma sua Lini semina refert: sed hodie quoque in usus non adhibetur.

*PANIS* commune illud mortalibus alimentum, variis ex cerealibus, atque farinis variis paratur; siquidem alius est *siligineus*, *confusaneus* alter, *sursuratus*, & *secalinus*, &c. qui omnes bonitate & digerendi facilitate differunt, prout magis minusve sunt glutinosi. Panis proinde bis coctus, qui ab omni glutine liber est, reliquis jure præfertur, & Leucophlegmaticos, hydropicos, puellas chloroticas, ac pueros rachiticos optime nutrit, facileque digeritur. Adduntur ei quandoque diversa aromata; uti anisum, crocus, cinnamomum, quod pro ratione temperamentorum fieri potest.

## Leguminosa.

*FABÆ* lentorem quandam habent, subinde, præsertim à debilibus, & litteratis non facile subigendum. Ex floribus plantæ, qui odorem subtilem, caput tentantem possident, aqua destillatur, quæ cosmetica dicitur; stipites vero per combustionem dant *salem alc. f.* de quo alibi sermo fiet. Ex tota denique planta destillatione aqua producitur, quam in Germania contra dolores nephriticos commendant; non tamen plus præstat, quam aqua communis. Farina fabarum in contusionibus, & inflammationibus dissipandis, aut ad suppurationem deducendis laudatur.

*PISA* fortibus nutrimento cedunt, litteratis minus apto.

*PHASEOLI* à sedentariis non bene digeruntur; in medicina vero illis plane non utimur.

**LENTEs** Doctis itidem nocent. Decoctum lentium Arabibus quondam, & hodie quoque nonnullis in variolis laudatur: verum nihil prodest; *farina* cum illa fabarum externe applicari possit.

**CICERA** *alba*, & *rubra* habentur; imo & alia species, quæ *cicer arietinum* dicitur: usum promiscuum, & leguminibus communem habent; licet ultimum raro, prima vero frequentissime veniant. Decocta leguminosum saporem exuunt, atque tunc vi emolliente, laxante, acrimoniam demulcente, humectante, & mediocriter diuretica gaudent. Hinc decocta antinephritica ingrediuntur. *Farina* eorum virtutem resolvendi, attenuandi, & discutendi habet.

**VICIA** damnantur tanquam Melancholicum: neque ullis usibus adhibentur.

## Olera.

**LACTUCA.** Hujus plurimæ sunt species, omnes salutare, unam sylvestrem si excipias. Succum lacteum, solventem, leniter refrigerantem fundit, atque bonum præbet nutrimentum juxta, ac medicamentum illis, quibus crassi, ac picci sunt humores: quare litteratorum Hypochondriacorum, & Melancholicorum obstructions larga copia diu assumpta pulcherrime referat. Succus lactucæ expressus à ℥ss̄ ad ℥ I. quotidie iis in morbis porrigendus est; & decoctum, quod præfertur, valde meracum sit oportet: ideoque libra una, duæ, vel tres ad libram unam aquæ, aut feri lactis recipiuntur, & colatura fortiter expressa usibus adhibetur. *Semina* cum *endiviæ*, *scariolæ*, *portulacæ* *seminibus* locum habent inter quatuor frigida minora, ex quibus emulsiō paratur, quæ leniter solvit, & acrimoniam humorum demulcet.

**INTYBUS** & *Cichoreum*, *sylvestre*, & *hortense* prostat: hoc illò minus amarum est, atque in usû medico postponendum. Succum dat saponaceum, lacteum, leniter solventem, & vices bilis suppletentem; hic succus in obstructions viscerum abdominalium eruditorum pulchra præstat: Ictericis, scirrho hepatis laborantibus præ cæteris magnum est remedium. *Radices* *cichorei* contusæ vel solæ, vel cum aliis, uti ex gr. Taraxaco cum toto

toto, Gramine &c. a libra ꝑ. ad ꝑ I. fero lactis incoquantur, colaturæ fortiter expressæ additur sal polychrestus, vel tartarus vitriolatus cum melle, quod remedii genus in dictis morbis pulcherrimo successu non caret. Præclarum quoque tale est decoctum antiphlogisticum in febribus acutis inflammatoriis. Virtus autem hujus radicis potissima, cum in succo, vel decocto resideat, aqua destillata cichorei nihil prodest; extractum vero integra virtute gaudet. Prostat in officinis Syrup. Cichor. cum Rheo, qui alvum leniter subducit, ac intestina simul roborat: Infantibus plerumque mucosis scopo purgandi ad duo vel tria parva cochlearia exhibetur: si coagulo lacteo laborent cum saponis Veneto, Lapid. Canc. aqua flor. Tiliæ aut Rhæad. forma mixturæ præscribitur.

**PORTULACA.** Tota planta succo glutinoso, mucoso, acidum, & nitrosum spirante constat: idcirco lentore suo emollit, acre inviscat, putredinique simul resistit, atque in acutis inflammatoriis morbis, in febribus biliosis plurimum conducit: datur autem forma decocti ex gr.

Recip. Herb. Portulac. m. IV.

Panis albi leviter tosti unc. IV.

Coque aqua pura vel aqua decocti hordei per mediam horam colat. ꝑ II. adde.

Sacchar. q. s. ad gratiam.

Ut bibat æger omni hora unc. II.

**APIUM** saporis est subacris, odoris grâti, & fragrantis; Radix, quæ cum radicibus Feniculi, Asparagi, Petroselini, & Ruscii inter quinque aperientes majores recensetur, jusculis circa finem decoctionis addita, vim iis solventem, ac diureticam communicat. Urinam urget sanguinem ad vasa frequentius applicando, venerem stimulat vasa ad secretionem incitando. In decocto nunquam, sed in infuso præscribi debet. Semina apii odoris atque saporis sunt aromatici, & quatuor calidis minoribus adnumerantur: infusa vero dant medicamentum carminativum.

**HYPOSELINUM** ab Apio solis foliis distinguitur, vixque ullam attentionem meretur.

**BRASSICA** varias continet species, quæ ad plantas antiscorbuticas pertinent: Decoctum Brassicæ est valde sætens, &

debilibus neutiquam conveniens. Quapropter in morbis putridis, & ubicunque adsunt putredinis signa, nocet. Verum scorbuto acido, si folia ejus cum aqua, aut vino decoquantur, addita simul cochlearia, aut raphano medetur. *Folia* externe ad ulcera antiqua, ad achores, tineas &c. applicantur.

*MALVA* succum mucilaginosum, inodorum, acre inviscantem in omnibus suis partibus habet: hinc decoctum foliorum, quæ passim sine radicibus præscribuntur, vim demulcendi, fibras rigidas humectandi, ac emolliendi possidet: alvum proinde laxat, sed etiam alvum nimiam sistit, dum in diarrhæa, vel dysenteria abrasum mucum restituit, acrimoniam involvit, & stimulum acrem tollit. In ischuria, in stranguria, calculo, in pectoris morbis asperis, ubi fibræ laxandæ sunt, in inflammatione intestinorum &c. prodest: dosis est m. I. ad libr. I. aquæ; sed si clysmâ inde parandum sit m. III. aut IV. recipiuntur. Externe cataplasma emolliens largitur.

*BETA* usum medicum mihi notum non habet.

*CINARA* nutrimentum est leve, sed bonum; in medicina tamen illa non utimur. Intra corpus assumpta urinam reddit graveolentem.

### Fructus solidiores.

*NUCES* corticem externe viridem habent, qui odorem aromaticum, penetrabilem admodum, cum sapore acerbo, & ingrato spirat. Ea de causa vires alexipharmacas in eo laudarunt, & ad Mithridatium atque ad aquas alexipharmacas &c. eundem receperunt. Noces immaturæ cum aceto destillatæ dant spiritum, qui in aqua Melissæ, Rutæ aut alia simili exhibitus, ubi stimulandum, subito movendum & sudandum est, potentissimum est remedium. Noces maceratæ saccharo aut melle conditæ bellarium gratum præbent. *Nucleus* edulis est, fiuntque ex illo emulsa, æque bona, ac ex amygdalis, quæ ad acrimoniam humorum obvolvendam inserviunt. *Oleum* quoque ex nucleis maturis satis bonum exprimitur; interim rancidi esse haud debent; tunc enim inflammant.

*NUCES AVELLANÆ*, de his idem verum est, quod de prioribus dictum fuit: sed in medicina non adhibentur.


AMTG.

*AMYGDALÆ dulces, & amaræ* habentur, quæ in medicina passim usurpantur. Fiunt inde l. A emulsiões cum aqua simplici, aut decocto hordei: dosis autem variat, prout emulsiō spissior, aut tenuior requiritur: unc. ꝑ. aut unc. l. pro libra una liquidi amygdalarum dulcium accipitur, adduntur duæ vel tres amaræ, ut fatuum saporem corrigant; edulcoratur dein syrupo quodam conveniente, vel sacharo q. s. Emulsa hæc scopo nutriendi, & medicandi adhibentur: optima namque sunt in morbis tum acutis, tum chronicis, ubi acrimonia obvolvenda, dolor mitigandus, circulatio nimia hamanda, calor urens compescendus, renes, in quibus crassa, & acris materia hæret, repurgandi. Paratur quoque *oleum*, quod recens expressum (*rancidum enim inflamat*) pulchrum usum habet, ubi acrimonia demulcenda, solidæ partes laxandæ sunt: unde in doloribus colicis, iliacis, nephriticis, in asperitatibus pectoris, ad uncias, ad libras etiam sive per os, sive per anum, ubi nihil contraindicat, uti nimius v. g. calor, ingeritur. In morbis pectoris cum syrupo emolliente, expectorante, quales sunt syrupus de althæa Fernelii, syrup. violar. præscribitur. In morbis infantum cum syrupo de cichor. c. Rheo, vel de Meconio datur. Post partus difficiles, aut solum, aut aliis additum puerperæ assumunt, quandoquæ tamen illud non ferunt sine nausea, eo in casu per anum injiciendum foret, si quis venenum assumpsisset, magna copia cito epotum, illud egregie obvolvitur. Oleum hoc denique in tenesimo ab acri in intestino recto hærente nato, in doloribus hæmorrhoidum inflammatarum siphunculis parvis injectum, aut etiam in calculi vesicæ urinariæ torminibus, eidem vesicæ immissum, summum levamen adfert.

### Bulbi & Radices.

**R**APÆ succo gaudent antiscorbutico; quin & decoctum foliorum in scorbutico acido locum habere potest. Sunt autem rapæ flatulentæ, non tamen aphrodisiæ. Cæterum ad crustam aphtosam emolliendam, ubi diarrhæa ex tali causa nascitur, quod totus tractus intestinorum simili crusta oblitus sit, ex rapis præstantissimum paratur medicamentum. Sequentem formulam *Celeberrimus Professor Antonius de Haen* nobis laudavit.

Re.



Recip. Rapar. non excorticat. radulâ rasarum ℥℥.  
 Ebulliant s. q. aquæ per  $\frac{1}{2}$ . horam colat. ℥ I adde  
 Mellis rosac. unc. II.

Ut æger tepide omni hora sumat unc. II.

*DAUCUS* in *sylvestrem*, & *hortensem* distinguitur, prior  
 medicina, posterior culina potius inservit. *Radices* Dauci du-  
 ris, ac robustis hominibus optimum dant nutrimentum: Succus  
 vero illarum cum syrupo violarum, de althæa &c. ad aphtas  
 detergendas quoque prodest. *Semina* Dauci potissimum in usus  
 medicos trahuntur: sunt autem illa saporis amari, balsamici,  
 aromatici simul, & acris, atque adversus mala nephritica sum-  
 me laudantur: Interim id verum est, quod virtute diuretica,  
 & carminativa gaudeant. Dantur vel in pulvere à scrup. I. ad  
 dr. ℥. omni trihorio, aut 4horio, vel etiam forma infusi sola,  
 vel cum radice Liquiritia.

*PASTINACA* similem cum Dauco sativo in mensis usum  
 habet: saporis est aromatici, coctione tamen multum de aro-  
 mate dissipatur. Jusculis sub finem coctionis scopo abstergendi,  
 resolvendi, diuretico bene additur. *Semina* vel in pulvere, vel  
 in infuso præscribuntur in eisdem cum prioribus usus.

*RAPHANUS* niger hic proprie intelligitur, (sunt enim  
 plures Raphani species) vires ejus aperientes, sudoriferæ, & an-  
 tiscorbuticæ semper laudabantur. Comeditur autem *radix* ra-  
 phani cruda, vel decocta, sed acrimonia sua flatus excitat: cru-  
 da tamen, & præsertim cum cortice magis stimulat, & urinam  
 debilibus in hydropicis summe movet. Si Raphanus in taleo-  
 los scissus sacharo aspersus in syrapi consistentiam diffuat, in  
 tussibus à pituita tenaci obortis merito commendatur. Radix  
 infundi quoque potest, & vinis medicatis cum cortice, aut sine  
 illo additur.

## Animalia.

Quatuor animalium classēs, quibus mortales vesci solent, nu-  
 merantur: *terrestria* nimirum, *volatilia*, *aquatica*, & *amphy-*  
*bia*; *terrestria* in genere plus nutriunt sanos, & robustos homi-  
 nes: *volatilia* omnia fere sunt gratiora, & facilius digerenda  
 Pi;



Pisces facillimam carnem habent; sed minus nutrientem, & in naturam alcalinam cito abeuntem; ideo acido laborantibus magis conveniunt. Amphibia vero de natura terrestrium, & aquaticorum participant: de omnibus his seorsim modo breviter agendum erit.

## Animalia terrestria.

**CARO BUBULA** ex bove ætatis mediæ desumpta hodie principatum tenet; omnibus enim grata est, & sanis præcipue bonum præbet alimentum.

**VITULINA** facilioris est concoctionis, & convalescentibus conceditur.

**AGNINA** digerendi facilitate cum priore convenit.

**SUILLA** cum domestica, tum sylvestris fortia requirit viscera: posterior tamen, quod minus viscosa sit, priori est præferenda.

**CAPRINA**, & **HIRCINA** duræ sunt admodum.

**HÆDINA** difficillime digeritur.

**CERVINA** præsertim hinulorum bona est; cervorum vero castratorum optima.

**CAPREOLINA** inter alias ferinas summe delicata est, grata, & tenera, omniumque minime noxia, ad cujus bonitatem proxime accedit caro *Damarum*.


**LEPORINA** junior leve dat nutrimentum; adultorum autem leporum caro difficilis est concoctionis.

## Aves cohortales.

**GALLINÆ** juniores sunt sapidissimæ juxta, ac nutrientissimæ: ideo jura ex his parata longe meliora esse censeo, quam ex gallis veteribus, tametsi multi sint, qui scopo nutriendi hæc præferre solent.

**CAPONES AMERICANI** carnem longe optimam habent.

**ANSERES** & domestici & sylvestres difficulter subiguntur: Illi tamen his multo sunt meliores.



*ANAS* tam *sylvester*, quam *domesticus* carnem anserinam bonitate superat; cito tamen abit in alcali; hinc quibus conveniat, patet.

*MERGO* inter pisces numeratur.

### Aves aereæ.

*COLUMBÆ* facilis, at *Palumbes* difficilis sunt digestionis; *columbe* vero *sylvestres* carnem satis teneram habent.

*PERDICES* optime nutriunt; præsertim autem juvenibus, & debilibus convalescentibus commendantur; sed non diu sine horrore ferunt.

*PHASIANUS* laudabilis est alimenti, atque gallinis bonitate præcedit.

*COTURNICES* multum nutrimenti continent: post messem præcipue sunt pinguiore, & deliciores, usus tamen earum magis diuturnus, minus censetur salutaris.

*TURDI* lapidissimum, nec non facile subigendum alimentum præbent.

*MERULÆ* à turdo bonitate vincuntur, quod & duram, & amari saporis carnem habent; juvenes tamen bene nutriunt.

*ALAUDÆ* multis in deliciis esse solent; & sane, præsertim pinguiore non spernendum exhibent nutrimentum.

### Pisces.

*LUCIUS* carnem tenacem habet, ideoque difficiliter subigendam illi vero, qui in stagnis vivunt, omnium minime digeruntur.

*CARPIO* carne teneriore gaudet: quare etiam facile concoquitur, & bene nutrit.

*BARBUS* facilitate digerendi, & bonitate nutriendi priori est similis.

*SULMO* carnem habet fatuam, robustis convenientem.

*STURIO* carne alba, & compacta simulque viscida præditus est, valentius proinde alimentum largitur.

*TINCA* viscidam quoque carnem, cum insigni nutriendi vi obtinet.

AN-

*ANQUILLA* viscositatem habet non adeo salutarem.

*TRUITA* optimi simul, ac saluberrimi est nutrimenti.

*HUSO*, & ei confimilis Germanis (det Dick) bonum dat nutrimentum, & palato valde gratum.

*HALECES*, & *SARDÆ* Gallis (*les Sardines*) inter optimos, & delicatissimos pisces marinos recensentur; per se enim sunt dulces, & optimum nutrimentum continent: Sardæ vulgo halecibus præponuntur.

### Amphybia.

*CASTOR* valentius est nutrimentum; cauda tamen præcipue laudatur.

*MOLVA* fumo indurata, & sale condita ad nos deferatur, unde semper difficilius est subigenda.

*ASELLUS* fortioribus potius ventriculis est exhibendus.

*OESTRÆ* Gallis (*huystres*) & *Musculi* sive *Myuli* stomacho sunt amica.

*CANCRI* difficilius digeri possunt, ac cito in alcali abeunt.

*RANÆ* quoque considerari merentur, de quibus solæ coxæ comeduntur; sunt vero satis delicatæ, salubres, & palato grata.

*LIMACES* viscosi sunt, ac difficulter subigendi.

### De usu medico partium quarundam animalium.

Quod ad usum medicum attinet, multa ex animalibus variis desumpta, diversos in usus quandoque adhibentur: Sic omentum in colica inflammatoria, in herniis incarceratis, in nephritide &c. calide applicant; sic halecem salitum plantis pedum; turturem apertam in magnis doloribus capitis, calide quoque capiti imponunt: Multi lienem, aut frustum carnis vitulinæ ex femore desumptæ substituunt; hæc dum putrescunt, idem faciunt, quod epispastica; minus tamen bona sunt: fœtor enim putridus atmosphæram inficit, & forte etiam aliquid intra sanguinem resorbetur, quod nocet: posseimus tamen quandoque

talia concedere, si homines ea absolute velint. Pinguedo fusa caponum, cervorum, in officinis ad unguenta quædam emollientia adhibetur. Caterum quæ de Pulmone Vulpis, de Priapo Tauri, de Cranio humano, quod pulverem de gutteta Riverii, & Epilepticum Rindscheideri famosos adeo magna satis copia ingreditur, quæ de sanguine hirci &c. tantopere prædicantur, nugæ sunt, quarum cordatum Medicum vel meminisse pudet.

## Liquores animalium.

*JURA CARNIUM* ex animalibus, variisque earum partibus præparantur, quæ nisi pingua sint admodum, aut spissa, sanis, & ægris pulcherrimum nutrimentum concedunt. In acutis putridis morbis succus citri, aut hujus loco cremor Fri additur. Qui vero additis pedibus vitulinis, vervecinis &c. jura spissiora reddunt, ideoque præferunt, vehementer se decipiunt: an non enim pars carnosa longe meliore nutriendi facultate gaudet quam mucilaginosa? Gelatinæ autem Magnatibus, & Matronis præsertim ad refocillandos ægros debiles adeo laudatæ, quæ fiunt ex partibus animalium, ex cornu cervi, ebore, adjectis simul aromaticis, à duro vix subiguntur aratore: Et si voluntati eorum quandoque parendum sit, ne ægrum neglexisse videamur, concedamus parum, multa aqua dilutum, & succo citri emendatum.

*LAC* nihil aliud est, quam chylus animalium aliquoties jam circulationem passus, omnibus corporis humoribus admixtus, & per mammarum fabricam elaboratus. Optimum censetur illud, quod est saporis dulcis; candidum, purum, nullius falsedinis, aut acrimoniæ particeps; odoris grati, reficientis &c. Inter omnia vero lac humanum recens, ex uberibus statim haustum ( si enim diu asservetur, præsertim negligenter clausum, subtilissimum, idque nutrientissimum avolat ) optimum, & sanissimum habetur: hoc bonitate sequitur asininum; dein caprinum; tandem vaccinum. Diversum est quoque lac secundum pabulum, quo animalia, ex quæis desumitur, pascuntur; si enim aliis iterum animalibus vescantur, potius putrescit; ut lac leonum: contra si vegetabilibus vivant, acescit. Hinc Phyticis lac ex animalibus herbis abstergentibus, & leniter aperientibus pastis

pastis emulgeri debet. Si usum lactis consideremus, is certe maximus est: præterquam enim, quod alimentum saluberrimum, facile digerendum, nostrisque humoribus assimilandum præbeat, Medicis plurimis in morbis summopere laudatur. Enim vero in atrophia, in tabe, in podagra, in passione hysterica &c. Solum lac, cum emolliat, nutriat, acrimoniam tollat, sæpe prodest; sed cum cura lactea instituitur, primo lene purgans præmittendum est; dein pauca sensim copia exhibendum, ut, an ventriculus ferat, videatur; quo intellecto mane ac vespere libra una datur. 2do acida, ut vinum, cerevisia &c. vitari debent; potus vero ex hordeo, vel aqua pura, cui additur parum Anisi stellati ad gratiam cum saccharo paratur, & alimenta facile digerenda simul assumere oportet. 3tio ad noctem lene absorbens ex oculis cancer. exhibemus; 4to, si alvus stricta sit, leve purgans ex Rheo quavis quarta vel quinta die porrigendum est; si contra nimis laxa fuerit, & intestina firmanda sint, sal ebullienti lacti immittitur, quantum stomachum non offendere videtur. 5to lac vel solum, vel cum aliis medicamentis assumitur: sic in labe purulenta viscerum cum aquis selteranis bibitur: proportio tunc talis est, ut ad libram aquæ libra  $\beta$ . lactis admisceatur. 6to lac parum calefieri debet, quod fit, illud aquæ calidæ immergendo. Denique notandum est, lac pro diversitate assumentis jam prodesse, jam nocere posse; licet enim nec acidum sit nec alcalinum, facile tamen acescit, & rancescit; Idcirco febrî acuta laborantibus: febribus ardentibus correptis, & in febribus biliosis obesse dixit Hippocrates; facile enim cum particulis putridis corrumpitur: hinc ructus, spasmos, & similia symptomata excitat: Possit tamen iis in casibus lac aqua bene dilutum, lac ebutyratum optimo cum effectu exhiberi: & sane lacte ebutyrato in calore febrili vix præstantius quid reperitur. Præterea lac illis, qui acido laborant, nequaquam convenit: interim acidum per absorbentia auferri prius potest. Habet liquor iste animalis alios adhuc usus celeberrimos: dum acria, & exitialia venena hausta sunt, magna copia, & frequenter epotum diluit, obvolvitur, & vim venenorum enervat. Si aut interna, aut externa quædam fuerit partium excoriatio, lac pulchre juvat. In excoriatis intestinis forma clysmatis cum vitello ovi, vel cum sevo hircino, aut Therebinthina optime injicitur.

citur. Lac, in quo ferrum candens extinctum est, in diarrhæis, ac dysenteris jam & olim commendarunt Medici; sed nullius est efficaciz. Ubi quis Ichuria laboraret, quod cantharides interne assumptæ, aut illæ externe infeliciter applicatæ sunt, lac epotum eandem tollit: præstantissima etiam fomenta, & cataplasmata fiunt ex floribus Sambuci Chamomil. &c. cum lacte, quæ ad tumores inflammatorios emolliendos, & leniendos idonea deprehenduntur. Dum vero sapo Venetus in lacte solutus, in debitam consistentiam coctione redigitur, ad podagram, ad arthritidem, ad laterum dolores bono cum successu adhibetur.

*LAC DEFLORATUM* laboriosis optime cedit; acidulitate siquidem sua putredinem prohibet.

*CREMOR lactis, & BUTYRUM recens*, ubi leniendum, ac emolliendum bene usurpantur; sic in tumore hæmorrhoidum butyrum illitum insigne levamen adfert, & clysmatibus frequenter additur.

*SERUM LACTIS* in acutis inflammatoriis morbis diluit, refrigerat, solvit, putredini resistit: in morbis melancholicis & hypochondriacis cum herbis solventibus e. g. Cichoreo, Taraxaco, Gramine, optimum dat remedium, & obstructions etiam inveteratas feliciter sæpe tollens: Verum robur ventriculi per diuturnum ejus usum debilitatur: hinc à minore semper dosi est incipiendum, vel etiam si natura morbi ferat, roborantia sunt addenda. *Serum lactis Tamarindinatum* biliosis conducit temperamenti.

*SACHARUM LACTIS* æquales cum sero usus habet: in hæticis, & podagricis morbis est laudatissimum; sed in usu vehiculo diluendum.

*CASEUS recens*, vetusto est præferendus; nam minus acris est, & ideo plus alit: putredinosus vero ferrea quasi, ne illa corrumpat, viscera requirit.

*OVA*. Quantum nutriant, patet ex accuratissimis *Harvei, Leuwenhæckii, & Malpighii* observationibus, quod pulli ex mole incredibiliter parva spatio viginti, & unius dierum in tantam magnitudinem excrescant. Dividuntur autem in *albumen, & vitellum*; illud vero huic est præferendum. Ova recentia & sobilia optima sunt, & nutrientissima, in acutis tamen ob metum putredinis

nis

nis non sunt exhibenda: interim *Hippocrates* albumina duo vel tria ovi in libra una aquæ diluta dedit in ardentissimis etiam febribus tanquam remedium refrigerans & alvum laxans. Quo coctione magis indurere, eo validiorem ventriculi fabricam requirunt, & *Galeno* teste minus nutriunt. Vitellus oleosa dividit, & aquæ miscibilia facit. Unde resinosa, ac oleosa in mixturis præscribenda, vitello ovi antea solvi debent. Prostat in officinis *oleum vitel. ovorum*, in fissuris labiorum & papillarum efficacissimum. Testæ pulverisatæ, præsertim vero calcinatæ acidum potenter absorbent. Pellicula denique testas interne investiens in vulneribus tegendis, ad aerem arcendum si aqua, aut lacte semper humida servetur, egregium usum habet.

### §. 1100.

## Prima Classis Cardiacorum sive re- plentia.

### Semina, & nuclei.

**P**ISTACHIA suis in nucleis majorem præ amygdalis olei copiam continent: emulsa inde fiunt, quæ corpus exhaustum reficiunt, acre leniunt, & obvolvunt. Quapropter in Phytisi, hæmoptoe, ubi corpus naturali suo balsamo depauperatum est, conveniunt: cavenda autem est ranciditas: accipiuntur num. VIII. vel X. ad ℥. I. aquæ.

SEMINA PAPAVERIS non sunt narcotica, tametsi tota planta illa virtute gaudeat: parantur ex iis emulsiones, scopo demulcendi, & refrigerandi optimæ, quæ, ubi narcosis requiritur syrupo diacodii edulcorantur. Si autem semina hæc somnum inducere valeant, inde fit, quod assumpta acrimoniam leniendo quietem blandam, sicque somnum concilient. Cæterum ex seminibus quoque oleam exprimitur, quod non tam cito rancescit, quam oleum amygdalarum.

Fru-